

VIR Excellentissime, Amplissime,
PATER Optime,

Quod solet saepe iis accidere, qui varia velint atque
inter se diuersa conciliare, vt nulli satisfaciant, id
vereor, ne mihi hoc tempore accidisse videatur.
Cogitanti enim mihi et perquirenti, quo possim mo-
do et summam meam erga TE, *Optime Pater*, significare, vti
par est, pietatem, et aliorum qualemcumque fouere de me aut
opinionem aut voluntatem aut expectationem, et meis denique
simul tum in patriam, tum in litteras elegantiores obsequi stu-
diis: placuit ea fortasse ratio, qua deseruisse potius officium
erga patrem, in alios humanitatem violasse neque meam ipsius
utilitatem satis adiuuisse existimarer. Neque diffiteor, diu me
multumque haesitasse, vtrum haec, quae iam edere animus est,
ex commentariolis meis inchoata ac rudia puer atque adolescentulus
excidere paterer, an prudentius maturitati reseruarem.
Quod et meae suadere tenuitatis conscientia, et aliorum de meo
conatu iudicium videbatur. Sed vicit huius diei, laetissimi,
cuius causa scribendum opinabar, recordatio, apta, vt arbi-
tror, ad id, quod maxime exopto, vt, nisi omnes, TV certe,
Optime Pater, iisque cuncti, qui TE amant, (sunt autem plures)
veniam darent, si animo aliquando, quam quae facultate susti-
nerem,